

Ut, Verum est, quosdam homines non esse electos ad vitam æternam: Ergò falsum est, omnes homines esse electos ad vitam æternam. Sic, Verum est, omnes naturales Adami hæredes esse cum peccato originali conceptos: Falsum igitur, quosdam naturales Adami hæredes non esse cum peccato originali conceptos.

7 Ex universali affirmante colligitur universalis negans, & contrà:

Ut, Qui non credit in Filium Dei, jam condemnatus est: & Qui credit in Filium Dei, non condemnatur; vel contrà. Sic, Qui habet Filium Dei, habet vitam æternam: & Qui non habet Filium Dei, vitam æternam non habet. Item, Qui non diligit Deum, non novit Deum; & Qui diligit Deum, novit Deum.

Cap. 16. Equipollentia axiomatice.

Equipollentia axiomatice.

Equipollentia axiomatice est axiomatum consensus in sententiâ, licet sit diversitas in verbis.

Nam diversitas verborum non semper importat diversitatem rerum.

De hâc notentur canones:

1 *Axioma tropicum rectè intellectum equipollet proprio:*

Ut, Homo est bulla, homo est similis bullæ.

2 *Axiomatum equipollentium unum potest esse altero magis emphaticum:*

Ut, Herodes est vulpes ἐμφατικώτερον dicitur, quàm, Herodes est similis vulpi.

3 *Due negationes apud Latinos equipollent affirmationi:*

Ut, Nemo non optat sibi bonam valetudinem: & omnes optant sibi bonam valetudinem.

4 *Axioma universale equipollet omnibus singularibus*

ribus